Intellectus non eſt extenſa magnitudo.

FAre age naturæ rimator ſedule, quiſquis
Ingenii dotes è filo corporis arte
Scitaris, vires animi cui prodidit index
Frons tacitis inſcripta notis, mens optima quale
Hoſpitium ſibi metatur? nam maxima moles
Par animò eſt? magni an menſuram corporis implet
Prodiga mens? ergo cedas Chryſippe Miloni,
Dulichium Cyclops, & Neſtora vincat Achilles;
Quàm longè ſecus eſt? mentem vim corpore caſſam
Arguit hoc ipſum, quod quos natura nouercans
Corpore non auxit, meliori parte beauit:
Quodſi terrenâ concreta a fæce fuiſſet
Mens, ſi corporea conſtaret mole, graueſcens
Nunquam tam celeri poſſet diſcurrere motu;
Nunc non anguſto contenta eſt limite teſtæ,
Altius aſpirat, vani et vix indiga ſenſûs,
Iudicio ſubnixa ſuo, iam ſydera tranat,
Iam mare ſcrutatur, penetrat iam viſcera terræ,
Omnia perluſtrans, complectitur omnia, ſola
Ergo
In ſe noſtra omnis mens craſſi corporis expers.

Nullum eſt ſpatium extra cœlum.

HOrtenſis ſophiæ Neoclida vmbratilis author,
Dædale mundorum faber, ecquis amabò deorum,
Auia ſtertentes quos intermundia condunt,
Te ſuper extremas cœleſtis verticis oras,
Alitis ingenii furioſo turbine raptum
Vexit, mundorum contermina millia monſtrans?
Ah metuo male, ne collidant impete cæco
Teq; monogrammoſq; Deos per inane voluti
(Quod rectoris egent) effrænis motibus orbes:
Quin potius nugas Epicure, & ſomnia mitte,
Longæuas auias proſcribe è pectore, nunquam
Extima tranſcendes noſtri pomæria mundi:
Vltima nam ſummum rerum ſtat linea cœlum:
Cunctaq; complectens deuexo margine cingit.
Nil vltrà ſpatii diffunditur, omnia citrà
Corporibus loca ſtipantur, coguntur in vnum
Cuncta, et congeriem cæleſtis circulus ambit,
Limite contentus nullo, ſed neſcius omnis
Metæ, cu m laxô curuamine cuncta coercit.
Non extra locus eſt; quia corpora nulla, capaci
Quæ gremio inſidant, & nulla ibi corpora conſtant,
Quod non vlterius fines narura propagat.
Ergo
Vltima dicamus, cæli conuexa, locorum.